

eng dazu gehörende Privileg der Constanze, den Text Langlois' zu Grunde legend.

Heinrich VI. verleiht zugleich mit seiner Gattin dem Erzbischof Matthaeus, der ihm aufrichtige Treue und Ergebenheit bewiesen hat, Castell' a Mare del Volturmo mit Zubehör.

1195 April 8, Trani.

In nomine sancte et individue trinitatis. Henricus sextus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie.

Imperialis mansuetudinis excellentiam et christiani decet principis maiestatem, ecclesias dei diligere et earum possessiones religiose devotionis munificencia dilatare, sacerdotibus quoque domini ac ministris eius tanto largius dona sue liberalitatis impendere, quanto id, quod^a eis impenditur, deo, cuius ministri sunt, comprobatur impendi. Ad laudem igitur dei patris et gloriosi prothomartiris Stephani, cuius patrociniatum elegimus et optamus habere, inspecta sinceritate fidei et devotionis, quam Matheus venerabilis Capuanus archiepiscopus, dilectus familiaris et fidelis noster, serenitati nostre dinoscitur observasse, una cum Constantia illustri Romanorum imperatrice et regina Sicilie semper augusta dilecta consorte nostra, damus et concedimus ei et successoribus eius ac per eos ecclesie beati Stephani Capuane in perpetuum Castellum Maris de Vulturmo cum omnibus iustis tenementis et pertinentiis eius, que in hominibus, terris, aquis vel quibuslibet proventibus videtur habere. Unde ad perpetuam eius et successorum suorum securitatem et pro inconcusso robore firmitatis presentem inde scribi paginam et nostre auctoritatis bulla aurea iussimus communiri, statuentes, ut nulla omnino persona in alto gradu vel humili constituta contra iamdictam largitionis nostre donationem aliquid proponere vel attemptare presumat, et qui modo quolibet in preiudicium ipsius nostre donationis egisse aliquid fuerit interceptus, quinquaginta librarum auri pena mulctetur, quarum medietas fisco nostro solvatur, reliqua vero parti eiusdem ecclesie, quam ledere temptavit, accedat.

Huius rei testes sunt Guillelmus archiepiscopus Ravennas, Henricus Wormaciensis episcopus, Galterius Troianus episcopus et regni Sicilie et Apulie cancellarius, Conradus imperialis aule cancellarius, Philippus frater noster,

a) *ad quod*.